
AD CARDINALITIAM

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN Scholis Medicorum, die Iouis 28. Aprilis. M. Ioanne Riolan Doctore Medico & Professore Regio, Moderatore Sapientissimo.

An ΜΕΤΡΙΟΠΑΘΕΙΑ *Sanitatis custos?*



ARS artium, Regina scientiarum, Domina sanitatis, vitæ propagatrix, morborum expultrix, Populorum ac Ciuitatum Dea tutelaris, καὶ τῶν τοῦ σώματος καὶ τῆς ψυχῆς ἀρρωστημάτων καὶ παθῶν φάρμακον Medicina diuinæ suæ indolis, amplitudinis, ac nobilitatis notas tres siue Insignia (vt ternos regalium liliorum apices area Gallicani stemmatis) magnificè circumfert & ostentat, Res naturales, non naturales, & contra naturam. *Res naturales* è quibus digniorem Physiologiæ titulum sortitur, vocat eas quæ Hominem componunt, aut quomodolibet ad eius fabricam & integritatem pertinent; vt sunt *Elementa* inuicem transmutabilia, vnicâ qualitate præcellentia, suis quęque locis disclusa, Mixtorum (quibus insunt οὐ μόνον κατὰ ποιότητας ἀλλὰ κατὰ σώματα) semina & origines: *Temperamenta* quæ in vnico homine vigent plurima: *Partes* quarum principia semen & sanguis, princeps cor ἀεικίνητον. *Humores* 4. ab hepate geniti, quibus totidem respondent tumores præter naturam φλεγμονή, ἐρυσίπελας, οἴδημα, σκίρρος. *Spiritus* functionum omnium δημιουργοὶ ὑπηρέται. *Facultates* quarum magistra Imaginatrix, Intelligentię necessariò addicta: *Functiones* vt nutritio, accretio quę fiunt vbique partium, generatio φυσικώτατον καὶ θειότατον ἐν τοῖς ζῴοις ἔργον, visio itē quę admissionali specie excitata splendicat in crystallo oculorum, ratiocinatio, ἀνάμνησις, &c. quarum si vel vnica vitium habet, morbus est: si omnes inuiolatæ & faciles, sanitas.




RES *non naturales* è quibus Hygines salubre cognomentum capit, vocat eas quæ ita in vsus vitæ necessarios veniunt, vt bene vtenti bonę & salubres, abutenti fiant insalubres: vt est *Aër* (Respirationi, quę partim à natura est, partim ab animâ planè necessarius) qui si ore naribus-ue ducitur clarus, tenuis, limpidus & Etesijs aliisque salubribus ventis liberè perflatus, cordis ardorē suauiter contēperat, natiuos spiritus alit & recreat, vitamq; in iustos fines producit; impurus, vliginosus, crassus & Australis torporē inducit ac veternum, vietum ac molle corpus reddit, vitam minuit, sensum hebetat, pestem adflat. Sub Æquatore aër mitis & benignus, & Regio tēperatissima, ad Polos nō item. Asiatici ab aëre suo molles & imbelles, Septētrionales robusti, & acres in prælia. *Cibus* εὔκρατος δύσκρατος, εὔχυμος κακόχυμος, εὔπεπτος δύσπεπτος si cum modo & delectu sumatur mirè proficuus est, alioqui iliadas & chiliadas ægritudinū parit. Carnes piscibus salubriores. Temperatos vesci oportet cibis similibus, intemperatos dissimilibus. *Potus* nutritioni necessarius, siue aqua simplex, siue Ptisana, Pomaceum, Piraceū, Cereuisia, Vinū. Aquæ pluuiæ meliores, stagnantes pessimæ. Hydropotę & Abstemij Poëtę fiunt suauiores. Vini potio, Hippocrati θώρηξις, famē soluit, estq; κυνικῆς ὀρέξεως ἀντίδοτον, præsertim si vinum meracius sit, lene, & generosum. *Vinum tamen potaturi meminerimus nos bibere sanguinem terræ.* licet enim sit lac Senum, curasque diluat edaces, quia calidum est & humidum; est tamen venenum puerorum, biliosorum, omniumque eorum qui capite sunt infirmo. Cultoribus suis Liber pater hæc præmia relinquit. Paralysim, stuporem, Apoplexiam, furores, Arthritidem, pallorem, tremores, oris fœtorem, nocturnam inquietudinem. Scilicet vbi mel, ibi fel: vbi vber, ibi tuber: vbi rosa, ibi spina. Ah, Ah duram legem, Deo lætitię & facetiarum liberè non potiri? cum interim ipse in lucentibus ac nitidulis crateris scintillans, geniali risu nos inuitet ad sui nectaris delitias. Imò, imò excipiendus est bonus Euyus. Sed ne lasciuiat, ignitaque cornua tollat, moueat-ve rixas, alba Thetis aduocanda est cum choro nympharum, aliàs in patrium Iouis femur constanter relegandus.



VITAM alternant ac per vices partiuntur *Somnus & Vigilia.* vtraque si excesserint, malum. In quo morbo laborem facit somnus, lethale. Somnus à Phlebotomiâ, noxius. Vigilia sensus soluit, Somnus sepelit. Insomnia produnt affectus & humores. *Somnus est recreator corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, Medicus laborum, cui legitimi fruēdo dies cædit, nox legem facit, auferens rerum etiam colorem.* Sed nimius parit segnitiem καὶ καρηβαρείας. *Attenuant iuuenum vigilatæ corpora noctes, curaque, & immenso qui fit amore dolor.* Hinc febres, conuulsiones, melācholię. *Exercitatio* ante pastum salutaris, à pastu noxia. Honestum est & vtile τῆς σμικρᾶς σφαίρας γυμνάσιον, si succedit ἀποθεράπεια. Nemini mortalium *Venus* necessaria. ideo optima quę rarissimè, medetur tamen morbis à pituitâ. Vbi fames, non laborandum. Inedia maciem inducit, bilem incendit, animum angit. *Quies* tempestiua vitę amicissima. *Quod caret alternâ requie durabile non est.* Ex abundātia sanguinis *Plethora*, quam venæ pertusio, ex excrementis suppressis *Cacochymia* quam purgatio soluit. Ab impuritate intestinorū colici cruciatus, vaporātes spiritus, murmurilla, rugitus, capitis grauedines. Ab *Excretione* deprauatâ fluxio, vnde Arthritides, Anginæ, Hęmorrhagię. Excretio saluberrima Hæmorrhoides, præsertim nephriticis & melācholicis. si retineatur καταμήνιον αἷμα in fœminis, malum. Morbos à repletione sanat vacuatio, à vacuatione repletio, καὶ τῶν ἄλλων ὑπεναντίωσις. In morborum iudicationibus non licet vacuare, neque aliàs vsque ad animi deliquium. Non est vena temerè secanda ante pubertatem.



HOMINEM variè exercent Animi παθήματα ad virtutem, ad Sanitatem, ad vitia, ad morbos, imò καὶ μέχρι θανάτου. Animus serenus & innubis corpus sibi adsciscit temperatum, vegetum, εὔχροον. Hinc Sapientes sani, comes, moderati. Passiones sunt cotes virtutum, limæ animorum, custodes corporum, adiutrices sanitatis, maximè si ferociam deponunt, & æquis auribus audiunt monita rectæ rationis. Somniculosos & inertes ad iram, tristes & cogitabundos ad gaudiū confert prouocare, exultantes contrà & profusiore gaudio dissolutos iniectâ mœstitudine, quasi aquâ in ollam efferuescentem, reprimere prodest. Passionum norma est recta Ratio, quæ pro suo tribunali sedens iudex & arbitra, modum pōnit, componitque dissidia & fluctus concitatos. Quod si tumultuetur & rebellet Appetitus, actum est, cōcidit illico Animi εὐταραξία, Corporis εὐεξία. In eo casu *gaudia pelle, pelle timorē, Spemque fugato, nec dolor adsit, nubila Mens est, hæc vbi regnāt.* Ἀπάθεια tamen Stoica vana est ac futilis. εὐπάθεια superba. Sensus non obest, vbi deest consensus. Passio est motus Appetitus sentientis ex apprehensione boni vel mali, cum aliquā mutatione non naturali corporis. Huius vis duplex. δύναμις ἐπιθυμητικὴ, καὶ θυμοειδής. vtriusque subiectum Cor. A' Concupiscibili Amor, Odium, Desideriū, Fuga, voluptas siue Gaudiū, & Dolor, siue Tristities. Ab Irascibili Spes, Desperatio, Metus, Audacia, Ira. Passionū causæ opiniones illæ nec bonæ nec malæ, ideo cadunt in Sapientem. Pauor vehemens & subitaneus febrim præsentem exturbat, euocat absentē. Ira neminem derepente sustulit. Gaudium extinxit plusculos, sed imbecilles. Spiritus tristis exiccat ossa, pulsum frangit & eneruat, cor lento strangulatu præfocat, & vitam sensim exedit, proteritque tandem.



AMOR Affectuum potentissimus obstipos erigit, resides ac pigros excitat, & obtusos ac hebetes quosque facit ingeniosos. Sed si vesanus est, excors, & furens *Iliscum* parit siue Μελαγχολίαν ἐρωτικήν, morbum Imaginatricis miserabilem magis quàm ridiculum, quippe qui sæpiusculè ad laqueum adigat, & vltroneam cædem. Impactus est, & incuneatus Cerebro per intemperiem frigidam siccam, rationis munia perturbantem sine febre. comites habet timorem, desperationem, suspiria, mœrores, colorem εὐμετάβλητον, πάλλον, cum pulsu amatorio. Cum morbus inueterauit, conclamatum est. Si tamen *vllis Amor est medicabilis herbis*, iuuabunt soporifera, iuscula, syrupi è violis, balnea, & omnino victus humectans. Imo-verò *Sunt verba & voces quibus hunc lenire dolorem possis, & magnam morbi depellere partem.* ab Amatâ vt à peste citò secedendum, longè abeundum, tardè redeundum, & cogitationes aliò traducēdæ. Passiones extirpare ἀδύνατον, sectari belluinum, conniuére humanū, fortiter reprimere Christianum. *Res contra Naturam* vocat Medicina eas quæ noxam quomodolibet nobis inferunt, vt sunt *Morbi, Causæ* ipsorum & *Symptomata.* Ac morbi quidem, tribus summis comprehensi generibus, non modò partibus quas afficiunt, distinguntur, vt Pleuritis ab Epilepsiâ, & hæc duo à Lue venereâ cuius subiectū est hepar & ab Hydrope cui prosunt ἱδρωτικά; sed etiam sexu, ætatibus, tēporibus. Furores, Melancholias, strangulatus vterinos viri non experiuntur. Pueri morbillis & variolis infestantur; Iuuenes febribus acutis: Viri Phrenitide: Senes Nephritide, Apoplexiâ. Ver promit Anginas, Epilepsias, Melancholias. Æstas febres ardentes. Autūnus Quartanas, tabem. Hyems Pleuritides, quæ nunquam sunt sine febre. Causæ continentes necessariæ. Nullū Symptoma sine morbo. Symptoma non est curandū. Grauia Symptomata sunt vigiliæ & dolores. Dolor est actio læsa. Illius causa est solutio cōtinui, & Alteratio. Hanc facilè relinquunt Animi Pathemata, si ferociunt impotentiùs. Quod si se cicurari sinunt, & benigniore manu Prudentiæ tractari ἔσται πάντα καλῶς, Animusque fiet diuinior, & Corpus salubrius. *Si tibi deficiant Medici, Medici tibi fiant hæc tria. Mens hilaris, Requies, moderata Diæta.*

Ergo ΜΕΤΡΙΟΠΑΘΕΙΑ *Sanitatis custos.*

Propugnabat Lutetiæ Parisiorum GVILLELMVS DV VAL Pontesianus, Philosophiæ Professor Regius. Anno cIↃ. cI. cXI.